



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Maleficium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

in loco egressurus sit? cùm egressus à voluntate dæmonis non dependeat. Similiter frivola foret attentata relegatio dæmonis in locum desertum, vel infernum, quia ad hunc effectum potestatem non habet Exorcista. Quodsi Energumenus graves patiatur tentationes, moneatur, ut sæpius contra eas protestetur, ut ipse invocato JESU nomine adju- ret dæmonem, ne ipsi in corpore & anima nocu- menti quidquam adferat. Exorcista iteratò illud sibi dictum habeat, illicitum esse absque gravi ra- tione exorcismum expulsivum adhibere, immo gra- viter peccaminosum ratione scandali inde nati. Præterea evenire aliquando solet, ut dæmon expul- sus redeat, Deo id permittente, in pœnam pecca- torum, quibus liberatus se denuo obstrinxit, aut propter diffidentiam liberati. Hic proinde frequen- tes Deo grates persolvat, sæpius eliciat actus theo- logicos Fidei, spei & charitatis, ad præsidium Vir- gineæ Matris, Tutelaræ Angeli devotè confugiat; tum etiam indolem foveat excitatiorem.

Maleficium hîc vocatur damnum omne dæmonis 27.
 ope aut suggestione alteri illatum. Qui damnum Male-
 hac ratione faciunt, dicuntur *malefici*, de quibus ^{fici-}
 agitur in Decret. *Gratiani* C. XXVI. Q. V. & Tit. ^{um.}
 XVIII. C. Est autem maleficium aliud *naturale*,
 ex maleficio & malitia hominis per media natura-
 lia ortum. Aliud *præternaturale*, quod nascitur
 ex maleficio & malitia hominis per media præterna-
 turalia, cum pacto diaboli tacito, vel expresso;
 velut si perditæ homines nonnunquam in limine do-
 mûs, vel alio in loco defodiunt capillos, ligaturas,
 nodos aut similia, quæ qui transeunt, tam diu ve-
 xantur, quamdiu illa defossa manent. Et quidem
 pactum

pactum hic tacitum vel expressum intervenire ex eo
 satis colligitur, quod effectus ille, cum illum in-
 ter & causam naturalis connexio non detur, non
 nisi causæ præternaturali, & virtuti dæmonis adscri-
 bi possit. Sæpe accidit, ut in casu maleficii hujus-
 modi præternaturalis dæmon ipse sit præsens malefi-
 ciato: quo etiam expulso, aut abscedente signa ma-
 lefica corpori ingesta, aut humores malefici præviè
 causati non raro perseverant. Signa, ex quibus
 maleficium naturale à præternaturali discerni queat,
 sunt sequentia: illud sedem certam & fixam in cor-
 pore habet, istud ordinariè jam hanc, nunc illam
 corporis partem afficit, ac immanes & horrendos
 dolores causat: & hi quidem ex maleficio naturali
 procreati fermè continui sunt, discontinui in alte-
 ro, cessantque adhibito debite exorcismo, atque
 ad Exorcistæ præceptum denuo redeunt; secus acci-
 dit in casu maleficii naturalis. Hoc remediis natu-
 ralibus tolli potest, quibus utiliter prævia adhibetur
 benedictio, ne dæmon illorum vires virtutemque
 impedire valeat. Præternaturale autem per reme-
 dia spiritualia, veluti per orationes, jejunia, ex-
 orcismos, & similia tolli debet, quamvis media
 etiam naturalia aliquando vim habere possint, lenien-
 di dolores, in quantum auferre dispositiones possunt
 quibus præsentibus dæmon vehementiùs nocebat. Ne-
 quit autem licitè tolli per remedia præternaturalia,
 quæ & ipsa pactiorem diabolicam præsupponunt,
 juxta illud *Lev. 19. v. 31. Non declinetis, ad
 magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ne pol-
 luamini per eos. Et c. 20. v. 6. Anima, quæ de-
 clinaverit ad magos, & ariolos . . . interficiam
 illam de medio populi sui.* Si tamen signum illud,
 ex

NATURAE ANGELICAE. 49

ex cujus malefica positione damnum contractum est, absque novo maleficio removeri, aut destrui queat, remotio ista vel destructio cur licita non sit? hæc enim actio naturalis est, atque ex se indifferens, neque ulla diaboli cooperatio intervenit, sed hic ab ulteriori duntaxat nocumento arcetur. Quin ipse maleficus ad removendum aut destruendum hujusmodi signum in utroque foro compelli potest. Quod etiam obtinet, si maleficus plura curationis media cognita habeat, licita nimirum & illicita: nam sola malefici solutio petitur, quæ absque novo maleficio fieri posse supponitur. Quodsi maleficus media adhibeat illicita, nesciente illud aut non petente maleficiato; per accidens est, & soli malitiæ malefici tribuendum. Nunquam verò licet maleficium per aliud maleficium tollere.

Magia diabolica vocatur, quæ dæmonum ope ex 28.
 pacto tacito vel expresso mira quædam, & commu-^{Ma-}
 ni hominum captu superiora efficit. Omnis igi-^{gia.}
 tur magia pacto tacito vel expresso cum dæmone ni-
 titur. Idque testatur D. CYPRIANUS L. de duplici
martyr. magos videlicet habere foedus cum dæmone.
 Et S. AUGUSTINUS L. 2. de Doctr. Chr. c. 23. ait:
Omnes artes hujusmodi vel nugatoriæ; vel noxiæ
superstitionis ex quadam pestifera societate homi-
num & dæmonum quasi pacta infidelis & dolosæ
amicitiæ constituta. Hujusmodi pactionis haud ob-
 scurè meminit l. 6. C. de Maleficis. Ibi: *Multi*
magicis artibus usi, elementa turbare, vitam in-
fontium labefactare non dubitant, & Manibus ac-
citis, audent ventilare, ut quisque suos malis ar-
tibus conficiat inimicos: hos, quoniam naturæ pere-
grini sunt, feralis pestis absumat. Hoc nimi-